



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque omnibus in utroque Foro ...

De Fideicommissis, Primogenitvris, Et Majoratibvs

**Luca, Giovanni Battista de**

**Coloniae Agrippinae, 1690**

Disc. XLI. Romana fideicommissi de Glorieriis. De eadem materia, An scilicèt in defectum masculorum vocatio censeatur de fœminis cognatis & persœminam descendentibus, ipsarumque fœminarum filiis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74060](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74060)

ibi per nium. tempo non possino ereditare, & tamen firmatur eosdem religiofos venire sub vocabulo generali familiæ vel lineæ, saltem in parte conditionali, ac ad effectum impediendi purificationem conditionis; Ideoque videbatur, quod vel in uno, vel in altero casu veritatis assistentia deficeret, cum hæc videatur incompatibilia.

## ROMANA FIDEICOMMISSI DE GLORIERIIS

PRO

SOCIETATIBUS SANCTISS. TRINITATIS PEREGRINORUM.

&

B. MARIE CONSOLATIONIS

CVM

PORTIA GOTTARDA DE  
PALLAVICINIS.

*Casus decisis per Rotam pro Portia.*

De eadem materia, An scilicet in defectum masculorum vocatio censeatur de feminis agnatis per masculos immediatè procreatis, vel etiam de feminis cognatis & per feminam descendentes, ipsarumque feminarum filii.

### SUMMARIUM.

- 1 **F**Acti series.
- 2 De excludenda repetitione qualitatis masculina.
- 3 Vocatis feminis an censeantur etiam vocati ipsarum filii & descendentes, declaratur num. 8.
- 4 Vocatis feminis, an censeatur vocatio ad solas feminas agnatas restricta.
- 5 De dictione, videlicet, quid operetur.
- 6 De differentia inter verbum feminæ & verbum mulieres.
- 7 De ratione, ob quam testatores solent feminas agnatas vocare, & ipsarum filios spernere.
- 8 Declaratur conclusio, de qua num. 3.
- 9 In dubio pro descendentes vel illi de sanguine contra loca pia.

### DISC. XLI.

**C**æsar Glorierius instituit in ejus testamento Julio & Carolo filiis, substituit eorumdè filios masculos, nepotes, pronepotes ac alios quomodolibet ex eis descendentes in infinitum, deindeque adjiciens alienationis prohibitionem respectu stabilium suam voluntatem explicavit, ut ea perpetuò remaneant in filiis masculis & legitimis dictorum hæredum, & moriente uno ex eis sine filiis succedant alii superstitibus, masculi & non feminæ, quia voluit, ut per-

petuò bona remaneant in domo de Glorieris, videlicet, in masculos, & in defectum masculorum feminas, & quando deficerent legitimi de dicta domo deficiant, tunc testator vult, quod filie feminæ non tantum masculis de domo Glorieris succedant, & legitimis mulieribus substituit Societates Hospitalis, Trinitatis Peregrinorum, & Consolationis &c.

Ex dictis duobus hæredibus. Carolus defunctus, qui prole masculina superstiti Felice filia feminaque Portiam pariter feminam procreavit, ex illa autem fuit superstes Joannes, in quo in vim dictæ ciproce substitutionis omnia bona conservata sunt, eoque demum absque prole defuncto, causa est controversa inter dictas Societates ultimo substitutas, & Portiam testatoris ut supra defunctæ, cui scilicet eorum hæc fideicommissi successio aperta esset, & introducta causa in Curiam Romanam Emerix, me pro dictis Societatibus scribit nullo tamen prævio causæ examine in Advocatorum congressu, ut in gravibus negotiis factis habili est stylus, sub die 28. Martii 1664. ad Curiam Portiæ prodiit resolutio declarans eam in parte Testamenti partibus vocatam, Primò nempe generica vocatione nepotum, pronepotum, & quorumcumque descendentes, sub quorum nomine veniunt tam masculi quam feminæ ex hoc restitissima propositione, quod in ultimis voluntatibus masculinum concipit femininum, ideoque filii collectivis nominibus æquè veniunt masculi ac feminæ, præsertim cessante masculorum concipi exclusionem ulterioris substituti, ut ad Sacerdotem colligit Rota in Spoletana bonorum 13. Aprilis 1647. ram Corrado post Censal. ad Peregr. decis. 34. millesimante, quod in hac prima vocatione testator voluisset qualitatem masculinam, cum illa soltem de derata videatur in filiis primi gradus, ut probat verba supra erius registrata. non autem in nepotibus pronepotibus, & ulterioribus descendentes, quibus repetita non censeatur qualitas masculina dum illa adjecta non est in principio, vel in fine vocationis, itaut ad omnes referri posset, sed in medio post unum gradum generis vocati, ut latius in dicta decisione deducitur, Ubi etiam ponderatur illud verbum quomodolibet in descendentes adjectum quasi quod tanquam generale ac effrenatum non capiat, atque impediatur repetitionem qualitatis masculinæ unum tantum gradui adjectæ.

Ac ulterius ultra dictam primam genericam vocationem, sub qua feminæ etiam dicuntur implicari vocatæ, ponderavit Rota pro altero fundamento explicitam vocationem feminarum in defectu masculorum ordinatam, in illis verbis, & in alio alium masculorum feminas, & in illis aliis verbis, proximus masculus succedat, & nullo valente, vel moriente ante succedant femina. Ac demum quod litteræ feminæ positæ fuerant in conditione ad exclusionem dictorum aliorum substitutorum in defectu mulierum, ut literaliter probant illa verba, & in illis verbis mulieribus, substituit &c.

Ad Argumentum verò per me deductum ad probandum Testatorem, vocasse quidem litteraliter feminas, sed solum agnatas & de domo, non autem cognatas ex ratione absurdi, quod nulli vocati masculos cognatos ex eisdem feminis descendentes, itaut si Portia ædrix fuisset masculus, succedens non debuisset, ideoque minus femina cognata, contra omnem rationem melioris conditionis sexus inferior, & minus dilectus. Respondet ad hoc sio cessare argumenti præsuppositum, quia vocatio feminis, censeatur etiam vocati masculi ex eisdem cognatis

cognati, ex autoritate Peregr. cons. 39. num. 15. lib. 6. & Rot. in Romana seu Sabina. fideicommissi 22. Maii 1656. §. & hujusmodi coram Duno-etto inter suas decis. 984. quasi quod sub vocatione foeminarum veniant earum filii ex tacita eorum vocatione saltem conditionali ac subintellecta per text. in l. cum avus ff. de condit. & demonstrat. & l. cum acutissimi Cod. de fideic.

Edita decisione atque convocato per Deputatos dictorum piorum locorum Advocatorum congressu pro determinatione habenda, num dicta resolutioni acquiescendum esset, vel potius obrinenda nova audientia pro tentando recessu à resolutis, ceteri concorditer, credentes decisionem esse male fundatam, fuerunt in voto allumendi in hac instantia novam disputationem, & quia eorum opinio prævauit, ita exequutum fuit, sed cum nimia facilitate à me in eodem congressu prævita sub die 16. Junii ejusdem anni in decis. per scriptum fuit, atque ad decisionem formam expedita sententia, quæ etiam in gradu appellationis fuit confirmata, & exequutionem habuit.

Mea opinio erat, quod cum ageretur de materia non omnino clara, sed dubia, & conjecturali, in qua certa determinataque regula dari non potest, per quam Advocati convincere solent iudices de injustitia, cum ambiguarum voluntatum interpretatio resiliat ex conjecturis, vel intelligentia verborum pendeat ab arbitrio, quod ob ingeniorum diversitatem frequenter varium esse solet, Idcirco cedendo resolutioni captæ in turno hujus instantiæ, audiri deberet sensus aliorum constituentium turnum alterius instantiæ, ad effectum ut illis in eadem sententiam absentibus, omnino acquiescere, atque ab ulteriori lite desisti deberet per loca Pia, in quibus semper nimis incongruum censui subtrahi eas longas ac induratas lites, quæ inter privatos ex quadam æmulatione potius subtrahi solent, cum potius veritas cum omni possibili celeritate indagari debeat, ex quo Ecclesiæ est præ cæteris justitia cultrix.

Discutendo deinde de merito causæ, dicebam meam sententiam cum illa aliorum hujus partis defensorum etiam concordare, atque piis locis potius bonum ius assilire, quia totius dispositionis contextus ostendere videbatur, voluntatem ambitioni testatoris cupientis in ejus bonis perpetuam sui nominis conservationem, fuisse vocandi post masculos, solas foeminas agnatas & de familia, in quibus donec vivunt domus nomen conservatur ad hoc ut cessata familia, immediatè transfirent ad loca pia, quæ cum lapidibus, & inscriptionibus ab eodem demandatis pro consueta hominum vanitate ac stultitia idem nomen in dictis bonis conservarent, Atque hanc dicebam mihi videri veritatem, attento etiam sono verborum, dum testator vocando foeminas, intellexit vocare illas de domo, ut præsertim significant illa, remaneant in domo de Glorieris videlicet in masculos, & in defectum masculorum foeminas. Illa enim dictio videlicet importat restrictionem seu declarationem ad genus jam expressum ad text. in l. videlicet ff. ex quibus caus. majores, l. videlicet ff. de pact. cum concordant. per Barbof. dictione 423. Fusar. quest. 359. num. 13. Greg. decis. 286. num. 9. decis. 158. num. 9. par. 9. recen. Idemque suadebant alia subsequenti verba, ibi, Et quando deficerent legitimi de domo de Glorieris, tunc vult, quod filia foemina non existens masculus de domo Glorieris succedant, quasi quod illud verbum de domo pariformiter ad foeminas ac masculos referre voluerit.

Ponderando potissimè (& quod fortius apud me vim faciebat), testatorem deficientibus mulieribus,

immediatè vocasse loca pia, non curando filios aliosque descendentes, qui ex dictis mulieribus jam admittis superstitibus esse potuissent, neque curando de altero casu, quod deficiente ultimo masculino de familia, nulla fuisset superstes foemina, sed bene superfuisset masculus ex foemina descendens, cum hic nullam haberet testatoris vocationem.

Et quamvis Rota respondendo huic objecto dicat, sub vocatione foeminarum subintelligi, atque ex juris præsumptione vocatos censeri masculos ex ipsis foeminis descendentes ut supra, Attamen quicquid sit de hujus assumpti veritate, ut infra, quatenus etiam illud recipiendum esset, id sequi dicitur ex dispositione legis, seu ex tacita dispositionis voluntate per ipsam legem subintellecta, certum tamen est, quod testator ad casum satis de facili prævidendum non cogitavit, nec providit, quod est satis inverisimile in viro, qui erat doctus Juris Consultus, & quam qualitatem ad indagandam ejus voluntatem satis attendendam esse eadem prima decisio inculcat. Undè propterea non oblivioni vel negligentia, sed studio & prudentia hanc omissionem tribuendam esse considerabam, ad ostendendum non nisi de foeminis agnatis sentire voluisse; Eo etiam ponderato, quod quando in defectum foeminarum loca pia vocavit, usus non est termino foeminarum, quem rectè sciebat ex Juristarum interpretatione universæ lineæ foemininæ, & sic etiam masculis per foeminas cognatis venire posse, juxta deducta per Peregr. dicto cons. 39. lib. 6. sed uti voluit termino grammaticali mulierum, ipsis tantum foeminis non autem masculis ex eis conveniente.

Neque incongruum dicebam Testatorem foeminas vocasse, masculos verò ex eis neglexisse, quia cum totius dispositionis contextus ostenderet, illum principaliter in animo habuisse ambiciosam bonorum conservationem sub ejus cognomine de Glorieris, donec personæ de hac domo extarent, atque in earum defectum per inscriptiones lapideas penes loca pia, hinc merito tam masculos quam foeminas de cognatione utpotè à familia extraneos neglexit, cum bonis ad eorum manus deventis, familia nomen in omnimodam oblivionem transeat, Et quod magis est longo temporis tractu, ac generationum multiplicitate subsequente, incerta etiam reddatur ipsorum bonorum origo, ac descendentiæ probatio, ita ut raro vel unquam fiat casus ulterius substitutionis ad favorem piorum locorum, ad quæ testator defecta ejus domo voluit bona omnino devinire, & sic restrictio ad solas personæ de agnatione, rationem, ac verisimilitudinem habere videbatur.

Et ad supradictam propositionem deductam ex Peregr. consil. 39. lib. 6. & Rot. in Romana seu Sabina. fideicommissi 22. Maii 1656. coram Duno-etto inter suas decis. 984. ut scilicet vocatis foeminis, censentur etiam vocari masculi ex eis descendentes, dicebam id rectè procedere, quando testator in conditione posuit universam lineam foemininam, ut est casus dictæ decisionis Duno-etti, Sive ubi foeminas simpliciter vocasset ita ut cum agnatae quam cognatae venirent, cum tunc etiam masculi ex eis sub tali genere justè se vocatos dicere possent, quia nulla subest excogitabilis ratio differentia, & in his terminis loquitur etiam Peregr. Secus autem, ubi verba & alia circumstantia probabiliter suadent, vocationem foeminarum restrictam esse ad certam qualitatem, quæ ex justo motivo inducere potuit testatorem ad vocandas foeminas utpotè agnatas, ac negligendum masculos cognatos.

Ad

Ad quod comprobandum, ponderabam gravamen restitutionis faciendæ piis locis, quod mulieribus tantum injunctum legitur, ibi, *deficientibus mulieribus substituit*, unde masculi cognati, quatenus dicendi essent vocati, nullibi leguntur gravati, itaut substitutio piorum locorum evanesceret, & bona fierent libera contra nimis claram & explicitam testatoris voluntatem, ut ultimo loco ad dictos substitutos utpotè manus mortuas & perpetuas bona omnino deventura sint.

Quamvis autem ex præmissis non improbabiliter dici posset potiora videri jura piorum locorum minus tutum judicando primum fundamentum successione hujus feminae ex prima vocatione nepotum, pronepotum & descendentium, Tum quia litera testamenti ad oculum ostendebat feminas non nisi in omnimodum defectum omnium masculorum vocatas esse, unde resultabat indubitanter masculinam qualiter post filios adjectam omnibus in dicta oratione contentis convenire, Tum clarius, quia species fatuitatis videtur velle explicari vocationem tacitam, ac implicitam, ubi habemus expressam & literalem, unde cum testator literis cubitalibus post masculos vocaverit feminas, quas deinde ad exclusionem substitutorum in conditione posuit, non videbatur ad quid expetere earum vocationem aliunde, itaut hoc fundamentum esset de illis, quæ vel non sunt necessaria, vel non sufficiunt, quia si testator qualiter agnaticam in feminis non desideravit, habebamus vocationem explicitam, etsi desideravit, non poterat esse majoris efficacis vocatio implicita, quam explicita.

Non tamen dicebam resolutionem posse de positiva injustitia redargui, neque de facili recessum à decisis etiam in alia instantia sperandum esse, ut eventus docuit, quia cum atrix haberet suam intentionem fundatam in expressa vocatione feminarum, & e contra substituti ad elidendam deducerent exceptionem restrictionis ad agnaticam qualiter non claram, ac expressam, sed implicitam & ambiguum, deductam ex interpretatione negari non poterat versari in casu dubio, qualis semper dicitur ille pendens ex conjecturis vel interpretatione, in quo plurimum versatur judicantis arbitrium, quod semper interponendum venit pro descendentibus, ac de sanguine testatoris in exclusionem piorum locorum, quorum utpotè non morientium, superexistentia est semper certa, itaut non sit eis auferre, sed differre successione, quam durum videtur descendentibus testatoris tollere, quoties plusquam clara ejus voluntas non refragatur, & quia ob nimium dilatatas acquisitiones, quæ per pia loca irrevocabiliter sunt, rationabiliter Tribunalium usus Reipublicæ favore introduxit in dubio contra hujusmodi manus mortuas judicare debere, ut in specie firmatur per Rotam in Romana restitutionis dotis 14. Decembris 1657. coram Priolo in sine ubi concordantes, non improbabiliter intrante quoque ratione text. in leg. cum avus ff. de cond. & demonstr. & leg. cum acutissimi Cod. fideicom. de qua supra disc. 31.

\*\*\*

## ROMANA VINEAR

SEV

## FIDEICOMMISSI

DE MONTE

PRO

MINERVA ET FELICE

DE MONTE

CVM

BENEDICTO SANTORIO

Casus decisis per Rotam pro Minerva  
& Felice.

De eadem materia concursus feminæ  
An scilicet veniant sub nomine filiorum  
nepotum, & descendentium, itaut  
culinum concipiat femininum, nec  
Et quid ubi præteritur contemptu  
natio; Et quando hujusmodi contem  
tio adesse dicatur, præsertim an agna  
nis ratio adjecta alicui prohibitioni  
contemplationem inducat pro exclusio  
feminarum, aut fideicommissum ad  
ad totam familiam.

### S Y M M A R I V M.

- 1 **F** Acti series.
- 2 **R**esolutio causa.
- 3 **D**e exceptionibus datis per alteram partem.
- 4 **D**e vulgari anomala seu in fideicommissis per quos  
libus subingreditur locum patris, & restan  
catio.
- 5 **A**n Bulla Baronum suffragetur creditori habenti  
tiam fideicommissi.
- 6 **A**n procedat in intruso & injusto possessore.
- 7 **D**e regula quod masculinum concipit femininum  
sub nomine filiorum & nepotum veniant femi  
8 **F**ortius ubi dispositio concepta est materna lingua  
de differentia inter linguam latinam & ma  
nam.
- 9 **R**egula de qua num. 7. limitatur ubi contemplatio  
agnatio.
- 10 **F**emina non conservant agnationem præsertim in  
lia, quidquid sit in Hispania.
- 11 **Q**uando ratio conservationis agnationis adjecta pro  
tioni sit accessorie & consequitive vel præ  
liter.
- 12 **A**gnationis contemplatio in dubio non præsumitur  
bene & concludenter probanda est.
- 13 **R**atio conservationis agnationis ubi etiam non pro  
retur inductionem vel extensionem præsumitur  
satis tamen attenditur pro conjecturarum  
pretatione.
- 14 **D**eclaratur quando id procedat, & de differentia  
ter rationem adjectam prohibitioni agnationis  
vel adjectam exclusioni fisci, & Reigulorum.